



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cl. Viri Valerii Andreae Desselii In Academia Lovaniensi  
Professoris Regii Erotemata Juris Canonici**

**Andreas, Valerius**

**Coloniae, 1697**

XXXV. De Pactis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62934)

## De Pactis.

## TIT. XXXV.

Quia plerumque & ferè semper est dubius litis eventus, solent litigantes si fieri possit controversias privatas inter se componere per pacta & transactiones, atque ita discedere à litibus.

*Quid est Pactum?*

**P**actum seu Pactio, definiente Ulp. J. C. est duorum vel plurtum in idem placitum consensus. Dicitur, *in idem placitum*, hoc est in eandem conventionem, ad aliquid dandum vel faciendum: quia placitum idem significat quod conventum.

c. 1. §. 2.  
D. de pa.  
§. 1.

*Quotuplex est Pactum?*

Pacta variè dividuntur, quas divisiones ex jure civili & Wesenb. *ad D. h. r.* repetere licet. Præcipua, & quæ maxime est hujus loci, divisio est hæc, quod Pactorum alia sint *nuda*, quæ in puris placiti seu conventionis stant terminis, neque causam aliquam habent obligandi, quippe nullo aus dato aut facto

facto interveniente, propter quod oportet alterum dare aut facere, quod promiserat; alia non nuda, quæ vulgò vocantur *vestita*, quæque in specificum contractus nomen abeunt, ut emptionis, locationis, pignoris &c. & causam obligationis habent.

ll. 7. in pr.  
D. de  
pact.

*Quis est effectus hujus divisionis?*

Quod pacta non nuda pariant actionem seu jus petendi validum utroque jure, id est, is qui pacto non nudo promittit aliquid, cogi judicio, ut promissum impleat, potest; pacta vero nuda non item, saltem jure civili; nisi sint pars contractus, veluti si inter vendendum nudo pacto agatur, ut venditor in ædibus ad tempus manere possit,

ll. 1. C. de  
pact. in-  
ter empt.  
& ven-  
dit.

*Anneque jure Canonico nudum pactum parit actionem?*

Controversa hæc quaestio est. Sunt qui affirmant, obligationem scilicet & actionem nasci ex nudo pacto, quia pactum illo jure suam debeant obtinere firmitatem, & quia studiosè agendum, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur. Sunt & qui negant, quasi mens Canonum non sit, homines statim verbis captare, & sic infamis litibus fenestras

c. 1. & 2.  
hoc tit.

aperire; imò pactum, de quo agitur lo-  
co citato, videri fuisse solemne pactum,  
mediante stipulatione conceptum, ad  
querimoniam Antigoni.

*Valerne pactum turpe aut rei turpis vel  
impossibilis, de facto vel de jure?*

Non valet, nec ullam obligationem  
inducit tale pactum; veluti si quid pro-  
mittatur, quod per se inhonestum sit,  
ut sacrilegium vel homicidium, aliave  
res peccato obnoxia; si quis stipuletur,  
quod existere non potest, vel per rerum  
naturam fieri; si quis accepta pecunia  
beneficium promittat, aut jus patro-  
natus, aut simile quid. Sic & pactum  
de succedendo in alterius beneficium  
rejicitur.

*c. ult. h. e.  
can. Non  
malis,  
c. c. Non  
semper  
xxx. q. 4.  
c. 4. c. 6  
h. t. c. 5.  
ead.*

De Transactionibus.

TIT. XXXVI.

Transactio quoque, ut controversiæ  
finiantur, aptissimum est instru-  
mentum. Differt à Pacto, quòd  
omnis Transactio sit pactum, sed  
non è contra, & quod pactum etiam  
gratis & donationis causâ fieri pos-  
sit, non etiam transactio.

E

Quid